



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 5. Ephræm inter angustias votum edit religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



qui de ponte hominem in flumen deiecit, cuius vi ac impetu abreptus interiit. Ego mox ut illuxit, adortus singulos, de singulis quæsiui, qua culpa fuerint comprehensæ, & in neruum dati? Cùm alij cædem falsam, alius adulterium nequidquam causaretur, & omnes se innoxios dictarent, Regredimini, inquam, in memoriam æui antè acti, & annales vitæ vestræ recognoscite; fortè iam olim aliquid peccâstis, nec dum expiâstis. Hic illi falsi calumniam sorori factam, & ademptam hæreditatem, Tertius de pontanum illum à se in aquas præcipitatum dixit. Extorta à singulis confessione, aperui, quæ cognoueram de alijs, qua illi narratione attoniti formidare cœperunt vindictam diuinam.

## §. V.

*Ephrem inter angustias votum edit religionis.*

Insequenti die Quæstor omnes ad publicum Tribunal adduci præcipit; vbi, spectante toto populo, rotarum gyris adstricti diuque excarnificati facinora sua omnia ediderunt; cædes, adulteria, calumnias; lataque sententia, me præsentem, in furcam acti animas exhalârunt. Quid mihi tunc animi



animi, quis sensus ac trepidatio fuit? Lictores enim, age puer, inquiunt, non ita questionem, ut nuper, euades; quibus ego externatus mortuo propior, quam viuo videbar. Dein prætor, puerum, inquit, veste spoliare, spoliatum loris à manibus pedibusque distendite, nervisque bubulis mactate. Hic ego calum mille votis oneraui, Deumque infinis precibus placare conatus, religionem professurum spondi, si me præsentis supplicio eximeret, & vinculis expedito salutem expediret. Audire mox Dei clementia visa lacrymabiles gemitus meos. Ex Concilio Iudicum primus monet prætorem, ut, si videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meæ causæ. Prandij horam esse, reducor ergo oneratus ferro in vincula, aliosque dies quinque supra viginti in custodia solus exigo. Cum ecce tibi rursus ille iuuenis (haud dubie tutelaris Genius) mihi iam tertium adstat & compellans: satisne credis iam, inquit, Iusto Dei Iudicio mundum administrari? Nec quidquam contra æquitatem ab eo fieri? plus satis, inquam, intellexi *Mirabilia opera Domini, & inuestigabiles vias eius*. Nec enim tantum intellexerat, quam iusto Dei iudicio in carceris sui



socios fuerit animaduersum; sed prima statim vice, qua Angelus ei apparuit, digitum intendit ad causam tantæ calamitatis, miserum scilicet pecus, quod crebra lapidatione confecerat; quam causam ipse etiam ceteris captiuis ingenuè detexit.

§. VI.

*Ephraem diuinâ providentiâ è carcere liberatur, in quem iustissimè coniectus erat.*

Nam mense vno antè, quàm in carcerem daretur, quid fecerit ipse sic narrat. Cùm puer, inquit, sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, repertam in saltu buculam fœtu grauidam cœpi crebra lapidum insectatione eò vsque persequi, donec onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit. Ego cœptum profecutus iter obuiam habui iuuenæ dominum, vltimæ sortis & fortunæ hominem, sollicitè pecudem amissam vestigantem, meque peramanter salutantem; rogantemque an aberrantis alicubi bouis vestigia in silua deprehendissem? Ego, vt me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso, insuper etiam contumelijs oneratum dimisi. Altero post mense eandem viam remetiri iussus in nemore